



Programmata

REGEM OMNIVM POTEN-
TISSIMVM

IESVM CHRISTVM

IN

PRIMO ET SECVNDO SVO ADVENTV
AB HOMINIBVS CONTEMPTVM

SVI VERO CONTEMPTVM
IN TERTIO ADVENTV

SEVERISSIME VLCISCENTEM
TENVI HOC CARMINE

MEDITARI

ET DEBITO VENERATIONIS

CVLTV PROSEQVI
VOLVERVNT

DIE NATALI EIVS

A. MDCCXXVII

AVSPICATO ILLVCESCENTE

SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVR-
GENSIS ALVMNI

ORDINI I ADSCRIPTI.

NVMBVRGI,

Typis BALTHAS. BOSSOEGELII, Privil. Typogr.





* * *
Ecce! quibus regem complexibus excipit
omnis
Anglia, ceu sponsum sponsa parata
suum.

Tradit ei rutilam deuota mente coronam:
Tradit ei forti sceptrum gerenda manu.
Eius in occursum properat cum plebe senatus,
Signaque dat cultus conspicienda sui.
Intonat ex altis bellatrix machina muris:
Laeta sub aëriis turribus aera sonant.
Exoritur plaususque virum, clangorque tubarum:
Et resonant agili tympana pulsa manu.
Floribus ac herbis sparguntur strata viarum:
Laetitiaque notas angulus omnis habet.
Dulcibus in templo funduntur vocibus hymni,
Materia laetis conueniente modis.
Regis et antistes perfundit membra liquore,
Quem dedit eximii diues odoris Arabs.
Dumque celebrantur festo conuiuia luxu;
Armis accinctus protinus intrat eques.
Prouocat ad pugnam magno clamore rebellem,
Huic regi si quis sceptrum tenenda, neget.
Nemo negat; laetis conclamant vocibus omnes:
Viuat rex noster tempus in omne bene!
Viuat rex noster! viuat dulcissima coniux!
Viuant felices pignora cara tori!
Pro te, rex, nobis certum profundere vitam,
Et si quid vita carius esse potest.
Aemulus iste tuus, communis noster et hostis,
Exsul ad extremos hinc Garamantas eat.
Felix, heu nimium felix! complectitur vltro
Quem populi, dextro Numine, tantus amor.
Tantus amor populi regem non excipit illum,
Quem mare, quem coelum, vastaque terra colit.
Hic

Hic venit in mundum, coelo delapsus ab alto,
 Et cupiens nostri sanguinis esse puer.
 Hic venit in mundum, tenebrosi faucibus orci
 Ut nos ereptos, adferat ipse sibi.
 Hospitii sed eum nemo dignatur honore:
 Nemo est, qui regi pandere tecta velit.
 Sedibus in Bethles tantus quam spernitur hospes!
 In proprio nascens non habet orbe locum.
 O coecas hominum mentes! o pectora coeca!
 Cordaque brumali frigidiora niue!
 Nescitis, veltris quisnam successerit hospes
 Sedibus? aeterni filius ipse Dei est.
 Pandite tecta Deo: Deus est ex virgine natus:
 Eius in hospitium rite parate domos.
 Mollibus et lectis actutum sternite cunas:
 Et pueri placidis membra fouete toris.
 Sed canitur furdis: nemo audit, tantus et hospes
 Versari in tenebris cogitur, inque gelu.
 Pellitur in stabulum rex regum, proque cubili
 Purpureo, in foeno straminibusque iacet.
 Herodes, scelere ante alios immanior omnes,
 Hunc regem stricto militis ense petit.
 Hinc ad Niliacas fugit infans territus oras,
 Et fert tam longae taedia mille viae.
 Ciuibus ipse suis quamquam, crescentibus annis,
 Innumeris factis se probat esse Deum;
 Impia turba tamen furit, et desistere nescit;
 Donec rex miserum de cruce pendet onus.
 Nunc quoque dum coelo residet sublimis in alto;
 Contemnit regem turba profana suum.
 Utque ferunt, quondam coelum adfectasse gigantes,
 Et summum bello sollicitasse Iouem:
 Sic homines patrio Christum detrudere regno
 Audent, inque suum bella mouere Deum.
 Huius quam pauci regis mandata capeffunt!
 Illum quam pauci supplice mente colunt!

Na-

Maxima pars gaudet dici de nomine regis;
 Nec cupit illius subdere colla iugo.
 Aemulus illius satanas, deterrimus hostis,
 Regnum nunc, totus qua patet orbis, habet.
 Eius ad instinctum nunc crimina quaeque patrantur,
 Et viget, abiecta religione, nefas.
 O miseri! quae vos tandem dementia cepit?
 Quis furor, o stolidi! pectora vestra quatit?
 Siccine crudelem colitis pro rege tyrannum,
 Omnis qui vestri fons et origo mali est.
 Molliter hic primo tractat sua castra secutos;
 Sed mox in stygias praecipitabit aquas.
 Credite, tempus erit, quod non procul esse, putamus;
 Cum repetet mundum CHRISTVS ab arce poli.
 Sed repetet mundum non sic contemptus, vt olim;
 Coelesti pompa conspiciendus erit.
 Eius sistentur mortales ante tribunal,
 Vt capiat vitae praemia quisque suae.
 Qui fuerint CHRISTVM verbis factisque professi:
 His cedent celsi regna beata poli.
 Daemonis aut stygii fuerint qui iussa secuti:
 His erit aeterni poena luenda rogi.
 Nostibi, CHRISTE, damus totos: tu rex rege nostras
 Perpetuo mentes: nam tua turba sumus.
 Iamdudum fuimus facto tibi foedere iuncti;
 Cum nos baptismi sacra lauaret aqua.
 Illud et hoc sacro renouamus tempore pactum,
 Nos fore subiectos tempus in omne tibi.
 Aemulus iste tuus, satanas damnatus ad orcum,
 Sit procul a nobis: nam tua turba sumus.
 Illius et comites, auri laudisque cupido,
 Et, quae nos perdunt, gaudia, sunt procul.
 Auspiciis sic, CHRISTE, tuis laetissimus annus
 Et qui nunc oritur, quique sequentur, erunt.

*

*

*

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
1017





Programmata

REGEM OMNIVM POTEN-
TISSIMVM
IESVM CHRISTVM

IN
PRIMO ET SECVNDO SVO ADVENTV
AB HOMINIBVS CONTEMPTVM
SVI VERO CONTEMPTVM
IN TERTIO ADVENTV

S
ET
SCH
LACISCENTEM
CARMINE
ARI
NERATIONIS
DSEQUI
VNT
LI EIVS
XVII
VCESENTE
RALIS NVMBVR-
VMNI
SCRIPTI.

Typis

REGI,
EGELII, Privil. Typogr.

